



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

IV. Sapientia humana qualis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

quo Christus, cum Carpo agens apud Dionysium affirmavit, pro perduto illo etiamnum crucem sese lubēter passurum, si passus non esset. Quis amicorum pro te id faciat? Imò, quis pro se? Isti tamen amico, aut tibi ipsi, plus fidas quàm Deo?

IV. *Sapientia humana qualis?* Sed faciamus, bonitati ac volūtati tuæ, & tuorum, prorsus te posse confidere. An verò sapientiæ innitēris, contra Sapientis iterata toties præcepta: *ne sis sapiens apud te metipsum: ne inuitaris prudentiæ tuæ: qui confidit in cogitationibus suis impiè agit?* Velim mihi bona omnia, & solidè bona: velint etiam alii. At modòsne eò veniendi pervidemus? Penetramusne ac perspiciamus commoda universa, incommoda, auxilia, obstacula, difficultates? Verissimè Sapiens dixit cap. 9. Sapient. *Cogitationes mortalium timida, & incertæ providentiæ nostræ.* D. Bernardo, Sermone de fallacia vitæ præsentis, inventa, & commenta ingenii humani similia sunt igni, ac luci, lampadis exiguæ, aut parvuli cerei. Vix allucet

allucet ad passus duos, & quidem fumo
 obscuratur, ac lucendo consumitur.
Accenditur cereus, non puram lumen est,
sed lucerna: si quidem ignis ipse propria fo-
menta consumit, nec nisi ipsâ consumptione
fovetur. Sic sunt ingenia nostra: parum
 lucent, & maxima pars eorum quæ scimus,
 non est minima eorum quæ nescimus.
 Intelligentiam, ex se satis obscuram, ob-
 nubilant passiones & affectus fumosi:
 unde nata Philosophi ac Poëtæ Christiani
 querimonia,

Heu quàm precipiti mersa profundo

Mens hebet, & propriâ luce relictâ,

Tendit in externas ire tenebras.

Denique ingenio agente, corpus patitur:
 corpore patiente, ingenium languescit,
 ipsaque sibi vivacitas ingenii mors est.
 Id expertus Ecclesiastes cap. 12. dicit:
Frequens meditatio, carnis afflictio est. Et
 Sapiens cap. 9. *Corpus, quod corrumpitur,*
aggravat animam. Idem forsan innuebat
 Jobus cap. 17. *Dies mei transierunt, cogita-*
tiones meæ dissipatae sunt, torquētes cor meum,
 & corpus meum, méque exedendo exe-
 dentes seipfas.